



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

SS. Claudius, Asterius, Neon. MM. 23. Augusti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](#)

a ac pro mur; cùm vix vivere cuperimus. Quò florens juventus,
 martyr u fugit non reparabilis! ah! si datum tibi tempus melius
 à, hoc collocasses, tunc præmium ingens tibi maneret. Non
 rem pē exiguum temporis habemus, sed multum perdimus. Senec.

3. Non modò brevis est vita nostra, sed redundat
 miseriis, cœlum vel maximè serenum nube non caret.
 Contendo te nullis unquā mundi voluptatibus potitū
 fuisse, quin fuerint felle aliquo permixtæ. Ah! ama-
 ræ sunt deliciæ, quid dolores, quid gemitus, quid la-
 crymæ inferni? Rectè igitur. August. *Vita dulcis stu-
 tis amara sapientibus, quia te amat, non te cognoscit, qui
 te contemnunt, te intelligunt.*

3. Ne sis sollicitus de longa vita, improbo semper
 longior est, probo verò satis longa & quantumlibet
 videatur brevis, sufficit ad sanctificationem. Labo-
 ra æternitati, vita quippe Patriarcharum punctum
 est ad æternitatem. Itaque ne perperam abutaris mo-
 mento vitæ tuæ; ab eo siquidem pendet æternitas.
Vitæ si scias uti, longa est. Seneca,

SS. CLAUDIUS, ASTE- RIUS, NEON. MM.

23. Augusti.

Christo confixus sum Cruci. Galat. 2.

vers. 19.

Potest Aegea hodie invidiam Romæ face-
 re, & tergeminos fratres & ipsa suos ja-
 stare, Horatiis vel ideo fortiores, quod vi-

I

vus

vus è pugna nullus abierit , omnes ceciderim
 Viciōres. Illis nomina sunt CLAVDIVS
 ASTERIVS & NEON , dissimilia vocabula
 cæterū virtus sub pectore eadem planè &
 & constantia. Primò singuli , tum totā fra-
 ternā acie pugnarunt ; nec in tres solū ho-
 stes, sed in totas carnificum cohortes. Videlicet
 ad servilem metum, Virgas, cederent
 Christi milites ? Risum hæ non gemitum ex-
 pressere. Jam unci ferrei & ungulæ bubuli
 que nervi in lacerato corpore integrum an-
 tum prodiderunt. Prunis & cum pruni
 Tyranno insultârunt etiam. Tædas corpora
 admotas fortior ignis extinxit Dei Amor. Et
 Equuleo verò velut è Cathedra , pulcherrima
 & dignissima Philosophiâ Christianâ ora-
 cula ediderunt. Post tot igitur pugnas men-
 tò denique in cruce triumphavit Nobilis fra-
 trum ternio. Neque obfuit triumpho huic
 quod corpora feris avibus præda cederent
 cùm nobilissimam eorum partem animam
 beatiores jam volucres abstulissent. Ex Lippel.

M E D I T A T I O.

De Cruce triplici.

1. **T**ernio Crucifixorum fratum tres cruces qui-
 bus affigimur in hoc mundo significare potest.
 Prima crux est observatio legis. Jugum Christi suave es-

onu ejus leve: Nisi timore Dei fixus fueris, facilè descendes ab hac cruce. Quamvis servant legem, tum vivere, tum mori in hac cruce, suavius sit quam descendere. *Si Filius Dei es descendē dixerunt ad Jesum crucifixū inimici.* Si Filius Dei, persevera in hac cruce usq; ad mortem, dogma Christianum est, ut dicas aliquando *consummatum est* cum Christo moriente. Sed & cum vivente, dic in omnibus. *Non mea, sed tua voluntas fiat.* Luc. 22.

2. Crux altera est, cui te affigit proximus tuus. Christus qui se permisit portari à Dæmone, etiam passus ab impiis dæmonis ministris sese crucifigi, & patitur quotidie à peccatoribus male se tractari immo iterum crucifigi, quid renuis ab uno potius crucem acceptare, quam ab altero? affigere patienter huic cruci. Vis ut tua vitia patientur alii, patere vicissim ab aliis. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Gal. 6.

3. Quisque sibi ipsi crux est inseparabilis. Muta locum quoties, & quo cunque, & ad quos volueris, te ipsum portabis tecum, & tibi tua crux semper eris, & tua passio, tibi tuus tortor erit. Tu tibi tua sarcina es, & nemo tibi temet gravior.

S. BARTHOLOMÆUS.

24 Augsti.

*Pro Christo ergo legatione fungimur
tanquam Deo exhortante per nos.*

2. Cor. Cap. 5.

12

Sunt,